



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij  
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||  
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

**Eck, Johannes**

**1534**

**VD16 E 292**

In secu[n]dis ferijs Paschæ. Eu. Duo ex discipulis. Lucæ. 24. Homiliæ duæ

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35259**

stum, quatenus dignetur nobis resurrectionem donare omnibus gaudijs plenissimam, postquam nos cum illo in uita uiuamus æterna, Amen.

*Nota, in scholis sequutus sum aliam sententiam uerborū Pauli, quòd loquatur de beatis iam in anima et corpore, qui nihilominus uenient ad illud uniuersale iudicium.*

PRAETEREA DE RESVRRECTIONE nostra habes multa parte prima circa Dominicam secundam Auentus in materia de iudicio extremo.

**FERIA SECUNDA**  
PASCHAE EVANGELIUM  
Lucæ XXIII.



**I**n illo tēpore: Duo  
Lex discipulis CHRI  
STI ibant ipsa die in ca  
stellū, quod erat in spa  
tio stadiorum sexagin  
ta ab Ierusalem, nomi  
ne Emaus, & ipsi loque  
bantur ad inuicem de Marci. 16  
his omnibus quæ acci  
derāt. Et factum est dū  
fabularentur & secum

C



quærent, & ipse Iesus appropinquans, ibat cū illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerēt. Et ait ad illos: Qui sunt ij sermones quos confertis ad inuicem, ambulantes & estis tristes? Et respondēs unus, cui nomē Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & non cognouisti quæ facta sunt in illa ijs diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De IESU Nazareno, qui fuit uir propheta, potens in opere & sermone coram deo & omni populo: & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quia ipse esset redempturus Israel. Et nūc super hæc oīa, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius uenerunt, dicentes

**Actus. 14** se etiam uisionem angelorum uidisse, qui dicunt eum uiuere. Et abierunt quidā ex nostris ad monumentū, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum uero non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credendum, in omnibus quæ locuti sunt prophetæ. Nōne hæc oportuit pati CHRISTVM, & ita intrare in gloriam suā? & incipiens à Moyse & omnibus prophetis interpretabatur illis in omnibus scripturis quæ de ipso erant. Et appropinquauerunt castello quo ibant, & ipse finxit se longius ire. **Es**

**Gene. 19**



coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum domine, quoniam aduersperascit & inclinata est iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt eum, & ipse euauit ex oculis eorum. Et dixerunt ad inuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant, dicentes quod surrexit dominus uere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quae gesta erant in uia, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.

## HOMILIA PRIOR.

**E**vangeliū hoc charissimi, quamuis sit longum, tamen quia & meram continet historiam, & illum saluberrimum utriusque Christi sermonem, quem cum discipulis ijs duobus habuit, complectitur, sub breuitate saltem transcurramus. Duo ex discipulis domini abierunt in Emaus, quorum alter tantum nomine explicatur. Cleophas enim erat, alterum, ipsum Lucam doctores credunt fuisse, eo quod ille dum alter ueritatem ex nomine appellauit proprio, se ipsum tacito tamen nomine uoluerit innuare: quia auctore Gregorio, moris est scripturae sacrae, ut ipsi qui scribunt, sic de se in illa quasi de alijs loquantur, sicut Moyses & Iohannes, ipseque adeo etiam Paulus spiritus sancti instinctu fecerunt. namque sic Paulus de se, Scio, inquit, hominem in Christo. & tamen ipsemet erat homo ille. estque haec communis doctorum sententia, quamuis Ambrosius alterum istum uocat Ammaon, qua siue au-

Grego. in  
pref. Job.  
Theoph.  
sup. Lucā  
Hierony.  
in epita.  
pauli.  
2. Cor. 12  
Ambros. sup.  
Luc. lib. 7  
c. 57. 2. lit.  
10. c. 107.



toritate, siue fide, nobis non constat. & si in ea quoque re parum positum sit, quando satis est nobis, uerum esse quod **Euangelista** narrat, duos ex discipulis **Christi** abiisse in **Emaus**. **Castellum** hoc deinde dici coepit **Nicopolis**, post excidiū ipsius sub **Marco Antonino** Imperatore. & in eodem natus fuit **Cleophas** iste, qui ideo forsitan ex nomine suo hic exprimitur. In textu porro latino hic distantia castelli huius à **Ierusalem** stadijs numeratur ab **Hercule** inuentis, stadium autem maius, pedes continet quingentos uigintis sex minus, tantum centū uiginti quinque, quamuis in hoc ita multum positum non est, nisi quantum facit ad sensum mysticum. Et tamen hæc stadia sexaginta omnia, quorum fit hic mentio, non duo integra conficiunt miliaria **Germanorum**. Egressi itaque discipuli isti duo, **Cleophas** & **Lucas** ex **Ierusalem**, in ipso itinere (ita ut sit) colloquuti sunt super ijs, quæ recens acciderant cum **Iesu**. Admirabantur enim rem illam, ignari omnino & incerti de cogitatione sua. fuit tamē hoc in ipsis præclarum magnæ pietatis specimen & exemplar, quod de sanctis rebus mutua miscebant colloquia, non de leuitatibus & uanitatibus mundi huius: unde & digni habiti sunt, quibus in ipso itinere appareret **Christus**. Id nos quoque facere addecer, hoc cum primis tam sancto tempore.

2. ¶ Colloquentibus ergo illis inuicem, & de **Christo** interrogantibus mutuo, cum adhuc ueram fidem non haberent, & tamen ardentes erant **Christi** amatores, ecce accensus ille in eis uerum lumen fidei, uenit ad eos ipse, quoniam & ipsi apud semetipsos intus amabant simul & dubitabant, ideoque fidem resurrectionis suæ in cordibus eorum uenit accendere, & simul latenter per præsentiam maiestatis insinuare, quod antea promiserat: Vbiūque duo uel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum. Usque adeo non derelinqt dominus suos, etiamsi deficiant in aliquo. solummodo enim si pius sit adfectus, adiuuat ille eos, uiam ostendit, ipse aduenit & dirigit illos. Sic si nostrates neochristiani uere deum amarent, pii essent & sinceri, quales se iactant, non desereret eos dominus. Plurimum isti quidem in ore uersant **CHRISTVM**, deum, euangelium, sed hæc omnia frustra:

**Beda.**

**Gregori.**

**Matth. 18**



imò ista quoq; quæ iactant, nihil omnino sunt quàm me-  
 ra superbia & insolentia, priuatum commodum & insi-  
 gnem temeritatem spirantia. Quibus omnibus dū abun-  
 dant, quiduis potius expectent quàm Christum. hic cer-  
 te ad eos (si sic pergant uiuere) non ueniet. Illis autem ap-  
 propinquans dominus, deinde simul ambulauit cum illis:  
 quorum tamen oculi tenebantur, ne agnoscerent ipsum.  
 Talem enim se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos **Gregor.**  
 erat in mente: & sicut ipsi de eo dubitabant, ira uicissim se  
 præbuit illis tanquàm peregrinum & ignotū. Quod ipsum  
 significare uolens **Marcus**, ait illum eis ostensum esse in **Marci. 16.**  
 alia effigie. Quæres autem, quomodo factum sit, ut ocu-  
 li istorum præseruati sint, quo minus uiderent **Chri-**  
**stum**, factum id sane esse constat etiam antea sapius, quia **Sene. 19**  
 sic **Sodomitæ** propter peccata sua puniti sunt: & afflicti,  
 ne aperti oculis duos illos uiderent adolescentes  
 (acrisia.) Sic qui missi erant ad capiendum **Eliseum**, exce-  
 cati sunt, ne uiderent quicquam. **4. Reg. 6:** Simile quid etiam **Sapi-**  
 ens commemorat. Verum hic quomodo id factum sit, ma-  
 nifeste expressum non est, nisi quod **Marcus** innuit ipsum **Sapi. 19.**  
 illis apparuisse in alia effigie: & illud forsitan extitit, quod  
 aspectum eorum sefellit & effugit.

3. ¶ Neq; uero tantum ad eos accessit dominus: allo-  
 quutus etiam insuper est, & interrogauit quinam essent  
 sermones, quos mutuo conferebant, non ignarus utique  
 loq; eos de doctrina magistri sui, sed ut inde occasionem  
 adriperet increpandi incredulitatem eorum. Ait enim:  
 Qui sunt ij sermones, quos confertis adinuicem ambulā-  
 tes, & estis tristes? responditq; ei alter, **Cleophas** nomi-  
 ne: Tu solus peregrinus es in **Ierusalem**, & ignoras quæ  
 facta sunt in illa ijs diebus? Quasi dicere uellet, Adeo ne  
 tu ignotus es in **Ierusalem**, adeo rerum omnium ignarus,  
 ut etiam insigne illud factum nescias, quod ijs diebus cō-  
 tigit, quod aliorū nemo ignorat, sed penè pueri in com-  
 pitis & triuīs prædicant? Peregrinum uocat, quoniam  
 is erat in eorum cordibus quidem, simulq; hic peregrini-  
 num dici se uoluit **Christus** nobis in exemplum, ut oēs  
 nos incolas, ut **Dauid** inquit, hospites, aduenas & per-  
 eginos, ut **Paulus**, profiteamur super terram, agnoscent **Psalm. 119**  
**Deb. 11**



tes nullam nos hic habere ciuitatem manentem, sed inquirere futuram. Sic nos Petrus quoque admonet, obsecro, inquit, charissimi uos tanquam aduenas & peregrinos, abstinete uos a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam. O felicem hominem, o sancta paschalia festa, illi qui nunc recolit peregrinum esse se, ac proinde ardenti cælestis patriæ desiderio ducitur: quoniam quàm diu in hoc corpore sumus & permanemus, peregrinamur utique à domino. Hoc nimirum est quod peregrinum se dominus discipulis illis duobus exhibuit, ut exemplo suo nos doceret esse peregrinos. De officijs porro peregrinorum supersedeo hic plura dicere, eo quod doctor Kayserpergius materiam illã toto opere tractauit.

4. ¶ Iam denique peregrino narrare occipiunt discipuli facta de Iesu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens in opere & sermone coram deo & omni populo. In qua narratione, quum multa sint præclara & obseruanda, tum uero primum hoc est, quod etsi in fide satis obfirmatum animum nõ habebant, egregium tamen CHRISTO testimonium dabant. Virum enim & quidem potentem in opere & sermone appellant, simulque etiam prophetam, ostendentes per hoc esse in se scintillam adhuc aliquam fidei. filium autem dei tacent, uel quod nondum perfecte credebant: uel ita solliciti, ne inciderent in manus Iudæorum persequentium, eo maxime, quod illum, qui cum loquebantur, non agnoscerent. Et tamen magnum hoc est, quod prophetam eum confessi sunt, sicut illum Moyses prophetando uocarat: & merito, quoniam præcetera, præsentia & futura omnia cognoscebat.
- Matth. 11** Quod si uero Iohannes ille Baptista plus quàm propheta fuit, quanto magis Christus prophetarum omnium dominus extiterit, cuius instinctu, prophetæ omnes locuti sunt? Sed hæc Iudæorum erat consuetudo, ut si quando aliquem præclare laudaturi essent, & amicum dei designaturi, prophetam appellarent: quomodo turbæ CHRISTVM, & post illud in quinque panibus exhibitum miraculum, & in ingressu Ierusalem deinceps, adclamando prophetam nuncuparunt.
- Iohan. 6**



¶ Addunt deinde potentiam illius in opere & sermone: nomine operis, uirtutem intelligunt miraculorum, quæ ille operatus fuerat, quæ & testimonium dabant Joh. 3  
sua diuinitati, iuxta istud Nicodemi, Nemo potest facere signa quæ tu facis, nisi sit deus cum eo. Neque minus potens fuit dominus in uerbo prædicationis, quoniam & turbæ admirabantur stupebantque super doctrina illius: siquidem non, ut scribæ & pharisæi docebat ipse, sed Matth. 7  
cum autoritate & quasi qui potestatem haberet. Sic ministri principum & pharisæorum dicebant, neminem unquam Joh. 7  
sic loquentem, ut dissereret ipse.

¶ Atque ut plenius esset testimoniū eorum, inquirunt potentiam istā suam exhibuisse illum coram deo & omni populo. Prædixerat iam olim idipsum Sapiens ille Ecclesiastes de domino, quia inquit, omne quod uoluerit faciet, & sermo illius potestate plenus est. Oportet autem esse potentem coram deo, & tunc coram populo. quia Theoph.  
placere prius debemus deo, deinde danda opera, ut & inter nos sine macula uiuamus, quantum fieri potest, sicut Paulus dicit, prouidentes bona non tantum coram deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Turpe enim est 2. Corin. 8  
ita uiuere aliquem, ut publico à cunctis incessatur odio, ingratus & inuisus omnibus, cuiusmodi est quod de Olibrio uulgo fertur: Molestus deo & hominibus. Hoc modo igitur opus præcedit sermonem, quum nullus etiam sermo doctoris sit firmus, nullaque doctrina ualida, nisi id quod docet, opere etiam ipso declaret ille. prius autem oportet præcedat opus, deinde illuminatio sequatur & cōtemplatio, iuxta illud euangelicū: Beati mundo corde (at unde ista mundities, nisi ex opere?) quoniam ipsi deū uidebunt. Ecce finē cōtemplationis, in qua ita Matthe.  
plane fit, ut in speculo se res habet. speculū nisi polias & bene extergas, nihil de se emittit lucis & radios.

5. ¶ Post plenū illud de CHRISTO testimoniū, obprobrium & malignitatem cōmemorant Iudæorum, dicentes, summos sacerdotes & principes eorum in mortē illum tradidisse ac crucifixisse. Quæ sane causa extitit tristitiæ ipsorum & mœroris. Atque idipsum sic erat ut dicebant, quia Christū seniores populi curarunt per Iudæam uendi, à mini-



stris capi, tandemq; liberato Barabba, cruci adiudicatum  
 damnari & occidi. Vnde Pilatus quoq; dixit. Gens tua &  
 pontifices tui tradiderunt te mihi. Deinde aiunt sperasse  
 se ex illis redemptionem Israelis, quæ uox est desperanti-  
 um & eorum qui seipos temeritatis arguunt & diffiden-  
 tiæ: quasi temere sperauerint illum redempturum Israel,  
 qui ipse omnis opis expers fuerit, alienæ redemptionis  
 indigus, quomodo subsannâtes illum Iudæi dixerūt. Ali-  
 os saluos fecit, seipsum non potest saluum facere. Verum  
 ex hoc iam constat, duos etiam illos discipulos in ista fal-  
 sa fuisse sententia cum alijs Iudæis omnibus, ut putarent  
 Christum liberaturū Israelem à temporali iugo & impe-  
 rio Romanorum, sicq; regem futuræ & regnaturæ in ter-  
 ris, sicut in hodiernum diem de suo Messia cæci & perfidi  
 credūt Iudæi. Illi igitur quasi sua iam spe frustrati, me-  
 rito incedebant tristes: quia & seipos quodammodo ar-  
 guebant, quod in illo redemptionem sperauerant, quem  
 iam mortuum uiderant, neq; resurrecturum sperabant, q̄  
 tamen, q̄a innocentem illū sciebant, optimo iure de ipsi  
 us morte contristati doluerunt.

¶ Et tamen aliquam adhuc sibi esse scintillam fidei de-  
 clarant, dū diem illū tertium connumerant à facto isto, for-  
 sitan rati futuræ, ut sicut prædixerat dominus, ita certo  
 in diem tertium resurgeret. Quod si tamen uerba ipsoꝝ be-  
 ne ponderas, uidebis esse mera hominū consilia, & eorū  
 q̄dem maxime, q̄ etiam q̄d agerent ignorabant. Addūt  
 insuper à mulieribus diligenter etiam ingrentibus non  
 inuentū esse corpus suū, angelū tamen illis uisum. Exter-  
 ritæ sunt mulieres, non q̄dem ex angelo uiso, sed ob nō  
 inuentū corpus dominicū, putantes ac metuentes furti-  
 uo illud esse sublatū. Quod ip̄m quoq; argumentū fuit in  
 fidelitatis, dū plus horrent & exterrēt ex non inuento  
 corpore, quā uiso angelo gauisæ fuerint ob adnuncia-  
 tionem resurrectionis. Deinceps inferūt q̄sdam ex ipsis,  
 Iohannem scilicet & Petrū, fuisse apud monumentum:  
 omniaq; sic inuenisse, ut renūciatum fuerat à mulieribus.  
 Sicq; etiam isti duo, quem præsentem secū habebant com-  
 mitem Iesum, non tamen inuenerūt, q̄bus ille tamen in  
 habitu peregrini apparuit ob incredulitatem eorū. Do-



minus noster **Iesus** Christus nobis quoque gratiam suam concedere dignetur, qua sustentemur & fulciamur semper: nec unquam in aliquam sanctissimæ fidei dubitationem incidamus, mortis maxime tempore: quin potius ille nos in fide sua confirmet & charitate, ut & ipsi suæ resurrectionis mereamur fieri participes in gaudijs felicitatis æternæ. Idque adeo potenter præstare dignetur qui est in secula benedictus, Amen.

## POSTERIOR HOMILIA

*Feriæ secundæ Paschæ.*

**D**iscipuli illi duo **Lucas** & **Cleophas**, in ipso resurrectionis die egressi Hierosolymam, abierunt in **Emaus**: ibique se illis manifestavit dominus, sed non adeo aperte, quin sub peregrini specie eis se ingereret. Atque dum isti quæ de **Iesu Nazareno** contigissent in illis diebus, ei enarrarent, de mulieribus etiam quidnam circa monumentum ipsius uiderent, & in ijs omnibus infidelitatem ipsi suam proderent, spem de eo omnes antea conceptam, nunc se amisisse querentes, duriter ab illo increpati, audierunt sibi dici: **O stulti & tardi corde ad credenda omnia quæ locuti sunt prophetae. Et merito stultitiæ eos arguit dominus, quod tandiu cum ipso uersati, nihil adhuc solidi didicissent: poteratque hic ille dicere eis hæc Pauli uerba, Cum deberetis magistri esse propter tē-** **Heb. 5**  
pus, rursus indigetis ut uos doceamini, quæ sint elementa exordij sermonum dei: & facti estis quibus lacte opus sit, non solido cibo. **Et recte eos primū stultos uocat & tardos nimium, quia scripturam, quæ toties de sua resurrectione loquitur apertissime, intelligere noluerunt. Quid quod ex scripturis subinde multa à Christo audierant, nec quicquam obseruarant? Cuiusmodi adhuc plerique sunt, qui cum multa audiant, parum tamen intelligunt, boni plane nihil operantur.**

2. **Increpat deinde ipsos etiam ex eo, quia quæ fuerint ad credendum tarditate, mulieribus quoque credere recusant, ipsique adeo Christo & angelis. Hic igitur, ait Beda, Beda.**

C v



**Beda.** nobis nō ulla scripturas interpretandi, sed gemina nos ipsos humiliandi necessitas incūbit; qui neque scripturas quātū oportet edocti, neq; ad implēda q̄ discere forte potuimus, quantum decet, sumus intenti. Si enim de **Christo** Moyses & prophetæ omnes loquuti sunt, atque prædixerunt illum per passionem ingressurum in gloriam, quo tandem mō fieri potest, ut quisquam Christianus tā sublimi & sancto gaudens nomine, nolit tamen neq; p̄ sua uirili scripturas de **CHRISTO** prædictas scrutari, ne q; ad gloriā Christi quā appetit, per passionē & tribulationem uenire desiderat?

¶ Fortiter quoque & præualide hic **Manichæorum** & quorundam neochristianorum errorem explosit dominus, qui uetus testamentū recusant acceptare, nō attendentes discipulos istos à **CHRISTO** per Moysen & p̄phetas esse edoctos, secundum quod & Petrus dicit, De salute exquisierunt atq; scrutati sunt prophetæ, qui de futura in uobis gratia prophetauerunt, scrutantes quod uel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuncians eas quæ in Christo sunt passionēs & posteriores glorias. Ecce tria hic prophetis tribuit Petrus, prophetiam de gratia fidelium, deinde de passione Christi, postremo de posteriori gloria.

2. ¶ Aut nonne (inquit deinceps ad illos dñs) oportuit Christum pati, & sic intrare in gloriam suam? Multa hic dici possent, quomodo oportuisset **CHRISTVM** pati, cum tamen omnis illa necessitas ex beneplacito dei profecta sit & immēsa misericordia ipsius. Siquidem quum noller deus uniuersum hominum genus interire uel ob solam hominis dignitatem, qui ad imaginem & similitudinem dei iam olim creatus erat: & eundem tamen nullus purus homo à seruitute diaboli liberare & peccatorum uinculis eripere poterat, hinc nimirum factum est, quod oportebat filium dei redimere rursus & saluare hominem. Et quamuis deus absolute ex illa immensa potestate sua hominem liberare poterat, eo quod cuncta suæ omnipotentia æqualiter subiacerent, modum tamen sanandæ miseriae nostræ cōuenientiore nullum fuisse, nisi ut sic diabolu cū ipsa iustitia & æquitate superaret, sicq; innocen-

**Angu. de.**  
**trinit. lib. 1.**  
**ca. 10.**



PASCHAE

41

re Christū diabolus occidisset, rursus fieret, ut ille potesta-  
te suā super fideles Christi seruos amitteret.

¶ Præterea modus hic redempti hominis, dici nō po-  
test, quantum in nobis ardoris cōcitet & charitatis erga  
deum, dum illum cōsideramus, p nobis morti traditum.  
Et rursus nobis deū facit, p̄ptium magis, multoq; in omi-  
bus donis & muneribus sacris liberaliorē, iuxta illud Pau-  
li: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omi-  
bus tradidit ipsum, quō non cum illo donauit omnia no-  
bis. Atque ad hunc modum ex omnibus uis redimendi  
generis humani, quæ plurimæ esse poterant, una hæc &  
commodissima & dilectioni diuinæ conuenientissima ui-  
sa est, ut Paulus inquit: CHRISTVS dilexit nos, & tra-  
didit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo  
in odorem suauitatis. Cum itaq; omnia æque diuinæ sub-  
iaceant potestati, poterat deus ille omnipotens plurimis  
alijs modis humanæ redemptioni consulere: sed ramen  
huic nostræ miseræ sanandæ cōstat alium cōmodiorem  
nec fuisse, nec esse oportuisse. Aut quis dubitat quo mi-  
nus ille, qui fecit nos existere de nihilo, reuocare etiam  
fine morte & passiōe nos potuerit? Veruntamen & hic il-  
le uia elegit cōmodiorem, secundum qd Paulus dicit: De-  
cebat eum p̄pter quem omnia, & per quæ omnia, qui mul-  
tos filios in gloriam adduxerat, autorem salutis eorū, per  
passiōem cōsummare. Et hoc est quod hic ait, oportuisse  
Christū pati. Hoc etiā, qd alibi dixit, si possibile est, trāf-  
eat à me calix iste.

Roma. 8.

Ephē. 5

Augusti.

Gregori.

in moral.

Heb. 2.

Matth. 26

¶ Ad longum hic doctores deciarant, quō CHRISTO  
passio sua ianua gloriæ fuerit. Quoniā hoc ipso suppli-  
cio suo flammeū gladiū à paradisi custodia ademit, suaq;  
illa humilitate tanta immensam adeo gloriam cōsequu-  
rus est: quia propterea deus exaltauit eum, & dedit ei no-  
men, ut in nomine IESV omne genu flectatur. Idem co-  
gnouit etiam Petrus, inquit nomen aliud etiam sub cæ-  
lo datum nō esse hominibus, in q̄ oporteat nos saluos fi-  
eri. Vsq; adeo enim nobilis & præclara est hominis ani-  
ma, ut nihil iam tunc ex multis seculis esset super terrā, q̄  
redimi potuisset, nisi sola illa Christi passiōe & morte. Id-  
circo idipsum diligēter fideles præmonuit Petrus, ut cō-

Sene. 3

Philip. 2

Actu. 4.



- fiderarent se non corruptibilibus auro uel argento redemptos de uana sua conuersatione paternæ traditionis, sed precioso sanguine quasi agni immaculati, Christi. Cūq; scriptura diuinitus sit inspirata, iuxta istud Petri, Non uoluntate humana allata est aliquādo propheta, sed spiritu sancto inspirati, locuti sunt sancti dei homines. Et in illis inter præcipua Christi passio manifeste est designata, sicut in Isaia, Zacharia & Dauide patet. Oportuit igitur impleri scripturas, testante idipsum domino, quando in monte oliuerti dixit Petrus, Et quō implebuntur scripturæ?
- Matth. 26** ¶ At ubi delicatuli hic nostri sunt martyres, qui etiam propter Christum nihil, ne minimum quidē pati uolunt, qui uoluptates tantum sectantur & ocia, uanaq; gaudia mundi? Quibus tamen nō paulo deteriores sunt neochristiani isti, qui præterquam quod à malo sibi non cauent, etiam bonum facere contemnunt, rati se tum demū esse (liceat mihi in re hac sic loqui) euangelicissimos, si feria sexta & in quadragesima carnes uorent, eo ipso canibus nō hilo inferiores. Audiant isti quid Paulus dicat, Videmus Iesum per passionem mortis gloria & honore coronatū. Audiant illi dicentem sibi Christum, quod olim dixit filiis Zebedæi, Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Audiant insuper Iacobum uelut ex oraculo sic ingentem, Beatus uir qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam uitæ, quam repro misit deus is qui diligunt illum. Nemini ex nihilo & uacuo aduenit regnum dei, quamuis omnes etiam huius temporis passiones, non æquari poterunt gloriæ illi quæ reuelabitur in nobis: quoniam quod in præsentī est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Quisquis igitur es qui hic affigeris, age patiens esto, quoniam habebis perseuerantiæ tuæ largissimū remuneratorē deū.
- Roma. 8** 3. ¶ Iam uero incepit à Moyse dominus per omnes prophetas explicare illis omnia quæ de se scripta erant. Scripsisse enim de Christo Moysen & in aperto atq; confesso est, & uel hinc liquet, quod Iudæis dixit Christus:
- Johan. 5.** Quia si Moysi crederetis, forrasse & mihi crederetis, cum de me scripserit ille sicut & prophetæ. At cur illam tu nō



his lectionem Christi non descripsisti sanctissime Luca, q̄ ipse tibi & Cleophae arcana sacrae scripturae reuelauit, ut sic facilius haereticis obuiare possemus: **Ve** hoc beneplacitum fuit coram domino deo, ut sic ipsi urgeremur scrutari scripturas, nosq; simul & intellectum nostrum exercere, ut tandem uitam consequeremur aeternam, sicut sapiens in persona sacrae scripturae ait: **Qui me elucidant, uitam aeternam habebunt.** *Ecccl. 24.*

¶ Habuisse autem Christum ualidissima ex Moyses & prophetis testimonia, ipsa illius testatur transfiguratio, *Matth. 17* in qua Moyses & Elias uisi sunt in monte, ad designandum *Marci. 9.* quia ille ex lege (quam Moyses tulit) & prophetis (quos Elias significauit) haberet testimonium.

¶ Interea uero dum Christus in scripturis exponendis pergit, adpropinquarunt simul castello, ubi simulabat se dominus longius iturum, eo tantum, quia adhuc in eorum *Gregori.* cordibus peregrinus erat a fide. Atq; ideo nulla falsitas hic fuit, dum ille se longius ire finxit, quoniam talem se erga eos exhibuit in corpore, quales ipsi erant in mente. Quomodo potest interdum bonus aliquis simulare se alium quam sit, sicut Iosue ante ciuitatem Hai simulauit fugam cum suis. Similiter & Dauid coram Achis rege Geth *Iosue. 7* prociens in terram, tundeat fores, sputo coinquans *1. Reg. 17* & conspurcans barbam. Sic Iacob quoq; pellibus circum *Gene. 27* manus alligatis simulabat se esse Esau. Eo facit quod inq; *Ecccl. 19* Sapiens: Est iustus, qui inclinat faciem suam, & fingit non uidere se quod ignoratum est, neq; interim tamen fictio talis peccatum est, nisi malo fiat adfectu aut hypocrisis quidam, & in imposturam aliorum, cuiusmodi hominem fictum fugere solet spiritus sanctus. *Sapien. 1.*

¶ Isq; adeo adfectus bonus, quem hic habuisse dominus legitur de simulato transitu, sic accipiendus est: quia ideo fingeat se longius abiturum, ut fortius isti eum urgerent & inuitarent manere, ut inuitatione ista nonnihil promerentur, & tunc ex merito ille se eis manifestaret. *Gregori* Simulanti enim se progressurum dicebant: Mane nobiscum domine, quoniam aduersperascit, & inclinata est iam dies. Coegerunt autem eum, ut habet textus, ex quo exemplo colligitur, quia proximi ad hospitium non solum



inuitandi sunt, sed etiam trahendi. Sic Paulus quoque: **Heb. 13.** spualitatis, inquit, nolite obliuisci, quia per hanc quidam placuerunt deo, etiam angelis hospicio receptis: sicut **Ab-raam** angelos ad se inuitauit, homines esse ratus, & **Lorh** in Sodomā. O homo qui per omnem uitae tuae decursum, hospitem hunc ad te nunquam inuitasti, qui a iuuentute deo non seruisti, inclinata iam die uel tandem in extremo annorum tuorum tempore respisce, hospitem illum ad te inuita, dominum tuum Iesum Christum, ut gratiam illius imperres. Clama cum **Dauid**, Ne reicias me in tempore senectutis meae: cum defecerit uirtus mea, ne derelinquas me. Sed deum immortalem, quam pulchrum, quam nouum omnibusque inuisum neochristianorum euangelium: in quo illi etiam inuenerunt omnino peregrinos esse debere, alienum mendicum nullum fouendum esse.

4. ¶ Et factum est cum recumberet cum eis, accepit panem, benedixit & fregit. Aperti sunt oculi eorum. Hic sane morem antiquum suum seruauit dominus. simul etiam Christianis reliquit exemplum, ut ante cibum gratias agerent deo, & orarent. Atque aperti tunc sunt oculi eorum, ut eum quem in sacrae scripturae expositione non cognouerant, in panis fractione cognoscerent. Ex audita scripturarum interpretatione illuminati non sunt, & subinde quod audierant facto praestare incipientes illustrauit dominus: quoniam non auditores legis, sed factores iusti sunt coram deo. Quilibet itaque qui cupit quod audiuit intelligere, festinet id ipsum facto praestare. Ecce enim isti loquentem dominum, & de scripturis disserentem cognoscere non potuerunt, eundemque paulo post cum pascerent ac cibarent, cognouerunt.

¶ Dices: Quomodo aperti sunt oculi eorum? an ne in uia nihil uiderunt? Imo oculi eorum tenebantur, quo minus cognoscerent illum: quoniam plurimum apud eos factebat metus ille & timor horrorque conceptus ex recenti facto. Ad haec facit, quod Christus eis in quacunque specie apparere potuit: siquidem **Marcus** etiam dicit ipsum in aliena specie eis apparuisse. **D. Augustinus** uir praeter ceteris doctoribus in sacris literis illuminatus, duo hic pulchra insinuat: alterum, cum ait, Non incongruenter accipimus hos

**Angu. de**  
**consensu**  
**Euan. li. 3.**  
**ca. 27.**



impedimentum in oculis eorum, a sathana factum fuisse, ne agnosceretur Iesus, quando id meruerunt incredulitate sua. Alterum, quod tamen hæc a Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata, remoueri intelligantur impedimenta inimici, ut Christus possit agnosci. Neque enim simplicem hic panem manducarunt, sed benedictionem panis, ipsius sanctissimi corporis Christi consecrationem fuisse, sicut hodie in missa fit. Ecce quomodo in hac sententia est Augustinus, ut putet Christum discipulis illis duobus sacramentum corporis sui dedisse, qui tamen presbyteri non erant, & quidem sub altera specie tantum. Quid igitur clamant isti infani (sed quorsum istud? neochristiani dicere uolebam) aduersus ecclesiam catholicam, contendentes laicis etiam hominibus dandam esse eucharistiam sub utraque specie, cum tamen contrarium hic uideant in Christo? Et sicut hic de fractione panis loquitur euangelista, ita deinde moris fuit in primitiua ecclesia, sicut clare idem Lucas testatur in Actis apostolorum. Eiusdem sententia est & Theophylactus: Oculi, inquit, eorum qui benedictum panem adsumunt, aperiuntur, ut agnoscant illum. Magnam & ineffabilem uim habet caro domini. Et quidem sub altera tantum specie ipsum dedisse eis hinc collige, quod Lucas inquit, fracto statim pane, illum euaniuisse ex oculis eorum. & alias nusquam legimus Christum post resurrectionem bibisse cum discipulis suis, tantum comedisse. Atque ut apud Cornelium meminit Petrus, ipse in cena dixit dominus: A modo non bibam de genimine uicinis huius uobiscum, usque in diem illum quo bibam nouum illud in regno patris mei. Idem quoque sentit in quadam homilia Chrysostomus, uolens Christum huic Cleophae & comiti suo ex manu propria dedisse panem, non benedictionis tantum, sed qui sit ipsa sanctificatio. Ne igitur porro oblatrent neochristiani isti aduersus ecclesiam sanctam dei, de utraque specie sacramenti etiam laicis conferenda. Videant porius alteram tantum hic Christum duobus dedisse discipulis, sicuti post alios doctores etiam hic Beda super Lucam sentit.

Augu. in sermo. de uerbis Euan. ser. 14.

Actus. 2 Theoph.

Luc. 24

Matth. 26

Chrysost.



¶ Simul atq; iam euauisset dominus, dixerunt discipuli: Nonne cor nostrum ardens erat dum loqueretur in uia? Nimirum sane **CHRISTVS** cor eorum uerbo suo accenderat, quod non parum feruoris habet, uel Dauid attestante: Ignitum eloquium tuum uehementer. Statim quoque surrexerunt & regressi sunt in Ierusalem, ut euangelium illud felsicissimumq; nuncium apostolis denuntiarent, & non secus ac leprosi isti dicerent: Hæc est dies boni nunci, si tacuerimus & noluerimus nunciare usque mane, sceleris arguemur. Eamus & nunciemus illud. Inueneruntq; undecim istos, utiq; etiam inter illos **Thomã**, atque cum ipsis alios quosdam homines pios congregatos. Cumq; nunciare uellēt eis apparuisse sibi dominum, præuenti sunt ab ipsis, audieruntq; uisum iam illum esse **Simoni Petro**. Id quando aut quomodo factum sit, nusquam scriptum legitur. Tantum quia hoc illi iam imminente nocte dixerunt, constat quod ipso resurrectionis die apparuit ei, ex omnibus uiris, ut testatur, primo. Neq; tacuit id ipsum fidelissimus assecla **Petri Paulus**, comme morans **CHRISTVM** mortuum, sepultumq;, resurrexisse deinde & apparuisse **Cephæ** atque alijs undecim. His auditis, illi duo uicissim eis rerulerunt quæ acciderant sibi, & quomodo dominum cognouerint denu in fractione panis. Verum in omnibus illis **Thomas** nec mulieribus nec **Petro** credidit, neque illis duobus, unde **Marcus** addit, ijs quoque creditum non esse. Nos iam læti gloriosam illam **CHRISTI** resurrectionem triumphali carmine ueneremur, canentes:

*Lactant. Salue festa dies, toto uenerabilis aeo,*

*Qua deus infernum uicit & astra tenet.*

*Legibus inferni oppressis, super astra meantem*

*Laudant rite deum, lux, polus, arua, fretum.*